Charles II King of great Britain & Ireland

5

CONJURATIO JESUITICA IN Carolum II.

Anno Dom. MDCLXXX.

JURISPRUDENCIA

Volumen II.

Anno Dom. MDCLXXX.

Conjuratio Jesuitica.

PARRICIDIUM
EDMUNDBURII GODFREDI.
OTII & BEDLOI Elogia.

Angliæ Supplicatio
ad Innocentium XI.

Jam res Angliacæ certo sub Rege vigebant
Immunes turbarum; & cum vicinia bello
Arderet, nobis commercia libera fecit.
Affines Batavi; recidivæ classis & urbes
Promisere decus valido tibicine nixum.
Mens modò sana foret; sed non mens omnibus una;
Thure calent DIVIS nec eædem FRATRIBUS aræ.
Saltem diversi non iissent vota favoris!
Anglia, pace tuâ, juvenes hos Rege parente
Orbatos, patriis & Templis & lare pulsos,
Ignaros rerum magis, incertósne salutis,
Perfugii, amplexos peregrina altaria, causâ
Gratia nulla tibi est quod non amiseris ambo
Ritibus adversis offensæ matris alumnos.
Ex merito patimur quicquid Fors deinde parabit.

Scinditur obſequiis in partes diſcolor Aula;
Conſcriptique Patres; & utrovis mobile vulgus,
Huc magis incumbunt Cellis, ceu carcere rupto,
Emiſſi in Patriam vehementi turbine Fratres.
Crudeſcunt odia, & non paſſa coire cicatrix;
Quódque ægrum fuerat priùs, inſanabile factum eſt.
Omnia vel toleres, vel nil tolerabile credas:
Ut nec ames Romam, ſatis eſt odiſſe Genevam.
Collige Paſtor oves bone!
Secretos cœtus, qui res invaſerat antè
Fovit, ut inviſis omnes avelleret aris:
Nam quid adoranti nil gratum Templa ſonarent?
Regia nam poſt quam ſubjecit colla ſecuri,
Infauſti Vates, & nullo thure litatum eſt.
Tum vero paſſim miſeros impunè videres
Abduci, quò quemque ſuus tulit impetus, Anglos:
Palantis Anglos, omni cuſtode remoto.
Agnovere PATRES diverſi pectora ſenſûs,
Et varios dant ore modos in ſegrege cœtu,
Agreſti calamo, quæ vellent, ludere docti.
Simplex turba ſibi plaudit; dum fiſtula dulcis
Circumagit ductos, in quod fugiatur, ovile.

Semina multa PATRUM vicinis diſſita terris,
Sub Rectore ſuo Provincia quæque tuetur;
Et non pauca domi JESU Plantaria læta:
Omnia quæ juſſis Sanctiſſima Roma coercet.

OTIUS interpres medius discurrere PATRUM,
Hispanos, Gallos, jubeántne invisere Flandros;
Non piger hinc illinc PATRUM Mandata referre:
Cautus signatas digito recludere chartas:
Ponere signa sagax, si quæ memoranda videret.
Unde loci, Quo mense, die, cujuslibet anni
Quodque datum est: Quo res gestæ sunt ordine quæque.
Tam memor ut verbo nil a se discrepet ullo:
Furtivis tabulis PATRUM Acta fideliter infert.
PATRUM Conventus indicere strenuus; idem
Tempestivus obire popinam sive tabernam.
Leniter admotâ foribus legit aure susurros;
Consiliis sanctis aliàs interfuit Autor.
Ecquod percutimus caput? Ecquam incendimus urbem?
Ecquæ bella ciemus? Hibernia, Scotia torpent:
Atque odio nostri Rex vivere destinat Anglus.
OTIUS heic; segnes sclopetas aufer, & enses;
Toxica miscendum: nil est præsentius illis.
Tantò vir melior; tantò consultior æqui
Atque boni; tantò testis nunc sanctior, OTI-
Assensere PATRES, nec cœptis segniter instant.
Felix, qui PATRUM Consulta Novicius audiit!
Et senibus Juvenis meruit præscribere leges!
En, Europa, quibus dederis formare magistris
Surgentem sobolem! quas erudiamur in Artes!
Secula quæ possis, quales sperare Nepotes!
Quis neget hos dignos qui cœli regna recludant,
Orbis terrarum soli moderentur habenas?

Pervigil

Pervigil interea nuptum Rex elocat Anglus
AURIACO Juveni captam de Patre Mariam:
Fortiáque egregius ſcribit decreta Senatus,
Munera ne gereret, neu publica præmia quiſquam
Perciperet civis, niſi patria ſacra profeſſus.
Tum pariter, Belgis ſummiſſo milite, cautum eſt,
Inſtanti Gallo ne Flandrica cederet ora.
Alternis redit, his, illis in pectora virtus.
Cur neutri cives ſincerâ pace fruantur,
Hos maleſida quies, illos ſpes lenta fatigat.

Infremuere PATRES adeò benè cœpta retexi.
Nunc adhibenda manus: nè longiùs iret in horas
Ignibus, & ferro ſtatuunt compeſcere peſtem.
Scilicet expectent quò Rex advivere nolit.
Trans Thameſim regio longè procurrit in ortus
Navibus objectis, latéque recedit in Auſtrum.
Deſcribunt vicos pictis ex arte tabellis,
Reliquias Londini, urbemque a ſole cadenti.
Pars hæc oppoſitoſque ſitus, & flamina cæli
Servant, dein refluo ſidentes gurgite puppis.
Pars facit illa pilas. numerum quis poſſit inire?
Semina quis maſſæ? cum nitro ſulphura mixta,
Reſináſque picéſque & lentas unguine ceras.
Lignorúmque ſtrues ſtant, & carbonis acervi.
Præficiunt, qui dent rapidis incendia ventis:
Quíque vagas omni flammas regione tenentes,

Intra

Intra præscriptas subigant decurrere metas.
Denique Funigeros mendaci in veste subornant
Ignibus ereptas dominis avertere prædas,
Mille per anfractus, in Sancta cubilia PATRUM.
Arma parant alii: tum proxima Scotia turbat.
O malè vicinis damnata Britannia Gallis!
Plebs armata coit: stantes in cespite vivo
Accendunt animos falsâ sub pelle Ministri.
Nec benè pacati telis ornantur Hiberni.
Anglósne exortos speres, qui munia Pacis,
Munia Militiæ Româ usque petenda putârint?
Quine PATRES medico (Superi prohibete!) locarint
Tollendum Regem, cui non Vigornica tantum
Tela, sed & nuper cui glans, & sica pepercit?

Senserat hoc OTI non dormitantis acumen,
Nec tulit indictum CAROLI discrimen habere;
Interea, cui dicta probet, vix reperit ullum.

Vir fuit ante alios rigidi servator honesti,
Justitiæ sanctus custos, Pacisque sequester.
Hunc adit: huic PATRES, & PATRUM crimina defert:
Perfidiam, sannas, cædes, incendia, furta,
In caput Augustum districtam denique sicam.
(Omnis tum visa est pendere Britannia filo.)
Conscius evolvit longi moliminis orsa;
Dispositos ratione dolos; data jura nocendi.
Insidiæ stabant nigrâ caligine mersæ:

Subſeripſit culpæ indicio ſimul OTIUS, *atque*
Diſcuſſit tenebras, cœlumque immiſit Averno.

Menſuram ſceleris veſtigia grandia produnt.
Horruit arcani ſeriem GODFRIDUS, *ut audiit*
Criminis impoſitam molem, magnóſque nocentis,
Immodicos voti; nil non audere paratos.
Quid faceret? premerétne nefas? malè conſcius eſſet.
Diceret, attonitus titulis, populoque reorum?
Hæſitat incertus mentis, paritérque veretur
Aut ne non inſons, aut ut vitalis abiret.
Haud tamen idcirco Regis patriæque ſalutem
Poſthabuit propriæ: capitúmque, ut quodque relatum eſt,
Concilio & Regi tutas deponit in auris.
Firmavit, ſuperis bis teſtibus, OTIUS *index.*

Nec latuere diu deprenſos crimina. Sontes
Indicis obſcuri contempto ſanguine vili,
Sumere ſupremas ſtatuunt de Vindice pœnas.
Aut cadet indicium; aut alii formidine mortis
Segniùs inquirent; nobis erit ultio tanti.
Quæritur interea magno certamine PATRUM
Quod pectus? quæ dextra capax memorabilis auſi?
Cui vis tanta doli, ut fallat per nomen amici?

Concilium indicunt ſanctum: feliciùs uſu
Omnia proveniunt, quæ tu ratione gubernas.
Curia, caupona eſt: lectus de more ſenatus,

Pauca

Pauca Miniſteria altari rapiuntur ab imo;
Atque valens humeris Auguſtæ janitor ædis.
Sacrifici duo præſidunt, quos miſit Jerne.
Quorum qui meritis alios præceſſit & annis,
(Dextra ſcyphum tenuit) menſâ ſic fatur ab altâ.
Creditis eſſe nefas hominem jugulare, Sodales?
Tollere de medio Romani nominis hoſtem
Fas & jura ſinunt: pietas, mihi credite, ſumma eſt.
GODFRIDUS quidam, nobis inimica poteſtas,
Et ſanctæ fidei, & noſtris conatibus obſtat.
Hic quâcunque viâ, mora nulla, faceſſat oportet;
Inſtar habet meriti. poſt talia verba præivit
Fumanti teſtâ: præcuntem turba ſequuta eſt.

Juſſa Viri faciunt. GODFRIDO deinde cubanti
Mane ſalutator, vel Cognitor oſtia pulſat:
Sive domo, quocunque, pedum veſtigia ferret,
Lucibus a primis ad ſera crepuſcula noctis,
Compita per, plateáſque, anguſto & limite fundas,
Pérque ſuburbanos ſpatianti laxiùs agros
Additus a tergo longe percuſſor inhæſit.
Venit ſumma dies: Auguſtæ tranſiit Aulam,
Sacrifici duo luſtrantes veſtigia ſervant.
Pars ſocios vocat auxilio: pars obſidet Aulam:
(Prancius hos inter fuit in ſtatione locatus,
Qui mox pertæſus facti poſtſcenia pandat)
Inſidiáſque ſtruunt non ullius artis egentes.
Ut rediit, bini pugnæ ſimulachra ciebant;

Arbiter oratur dirimendæ occurrere liti, ut
Pace datâ, partes in se converteret ambas:
Tertius aversas innectit sindone fauces:
Semineciſque genu liventia pectora tundit:
Rupit & obtorto spirantia guttura collo;
Nec puduit dirâ temerâsse Palatia cæde.

Vocis iter clausum est; magis ipsa silentia clamant.
Publica vox gemit; & magno deposcitur ultor.
Illum spes veniæ mercede potentior egit,
Hunc merces quoque. Mortales nunc omnia cæci
Admittunt in se pretio, pretióque fatentur.
BEDLOUS nec mentis inops, & pectore firmo;
Oblato testis non semper mitior auro.
Hic ille est: nec tu BEDLOUM ludere credas.
Carus erat PATRIBUS sanctis, quos nomine carus
Incertum promptæne manus, linguæne ferocis
Proscriptos, mercede docet, quâ sede requiras.
GODFRIDUM quanti, quorum de nomine PATRUM
Instinctu, insidiis quibus ipse petiverit ultrò.
Addit, ut oppressi impavidus spectator amici
Tentârit fauces, astrictáque vincula collo.
Sacrificos fuga præripuit. Tres de grege pendunt
Faucibus elisis, æquato examine, pœnas.

Sancte

Sancte PATER PATRUM, tibi supplicat Anglia paucis,
Ante pedes Petri vultum demissa Beatos.
Est mihi nata domi, facto de semine nuper,
LOIOLÆ soboles non inficianda Parenti.
Illa tuos fertur malè multa docere Britannos.
Ecquid, Scripturis tactis spondere recuso
Quod non mox violem, nil vocem mente sequutâ?
Quinetiam (ut fama est) privati publica curant:
Assueti studiis, multùm renuente Minervâ.
Quid moror? Exitio Reges & Regna propinant.
Prava piant pravis, & sacris turpia celant.
Quod per, Te, canos, triplicis per jura Tiaræ,
Oramus; per, si qua manet Reverentia Famæ,
Hos mihi, nec pigeat, revocatos ociùs ad Te
Dedoceas mores, ne, sive hic fortè morati,
Sive domum retrò vestigia nota ferentes,
Inveniant, quem non possint evadere, nodum.
Exonerent odiis gentem; terroribus urbes;
Invidiâ Regem, quidvis ignoscere pronum.

Sic tibi contingat longævo, in Pace profundâ,
Purpureos inter Proceres, intérque Quirites,
Cùm sacra, tum, si vis, civilia jura secare!
Sic tibi doctrinæ, & morum probitate licebit
Præsulibus, quà terra patet, populisque præire;
Ut benè concordem forti sub Rege Senatum
Haud unquam nigro violandos pulvere præstas.
Et meruisse putes? certè Tibi nulla venena

Miſcuimus: Romæ nullos injecimus ignis:
Nos neque Tyrrheno vitiamus ſanguine Tybrim.
Portubus aſt Italis noto cognomine dictus
Defenſor Fidei ſubmotos perpulit Afros
Pallentis Crucibus Rubris ſubmittere Lunas.
Pœniteat tali Europam fraudare Patrono.
Quid meruere Tuum proceres in nomen adacti,
Cur non innocuæ carpentes otia lucis,
Communi in Patriâ, ſalvo cum principe, cives
Exigerent omni regno ſecurius ævum?
Invidere PATRES mentiti nomen IESU.
Quid, quòd neſcio quæ narratur fabula vulgò, &
Rumori caput eſt, niſi ſordeat OTIUS autor,
Te mandâſſe nefas. Sed non Rex credulus illi.
Redde vices, nec tu de nobis omnia credas.

Et quoniam propiùs cœleſtia contigit ora
Cernere, fac, nobis pandas oracula veri.
Dic mihi, ni grave ſit, quod de Te ſcire laboro,
Quandò illud Scoti juxta neſcimus, & Angli,
Tu ſcis, cui divina ſedet Sententia labris
Pontifici ſummo (nèc enim cadit error in illum)
Et mihi ſemper eris Sanctus PATER, hoc modò dicas.
CÆSARE num magno minuatur gloria CHRISTI?
Altior an CHRISTUS, calcato CÆSARE, ſtat?
CÆSARIS, & CHRISTI, terris cœlóque beati,
Quà diviſa tenus, quà ſit conjuncta poteſtas.
Hanc mihi des veniam indoctæ, Sanctiſſime Præſul!

FINIS.

BRITISH LIBRARY 1870 MUSEUM